

111.

DISEPTATIO ACADEMICA,  
MOMENTA QUÆDAM  
AD  
ILLUSTRATIONEM  
VETERIS  
HISTORIÆ  
ROSSICÆ  
PERTINENTIA EXHIBENS,

---

QUAM

*Consent. Ampl. FAC. Phil. in Regia ad Auram Academia,*  
PRÆSIDE

MAG. JOHANNES  
BILMARK,

HISTOR. AC PHIL. PRÆC. PROFESSORE ORDIN.

*Publico examini modestè subicit*

EMMANUEL INDRENIUS,  
Rossia-Wiburgensis.

Die XV December Anni MDCCLXXIII,  
*Loco horisque ante meridiem consuetis.*

---

A B O Æ

Impressit JOHANNES CHRISTOPHORUS FRENCKELL.

ENKE-FRU-PASTORSKAN,  
DYGDADLA  
Fru ANNA CATHARINA  
INDRENIA,  
Född JERPE,  
MIN HULDESTA MODER,

Andteligen bar den länge efterlängtade dagen infallit, då jag offentligan får betyga min årkänsla och vördnadsfulla tacksambet, för den stora omsorg och vårdnad, som Min Huldesta Moder alltid haft för min välfärd. At afskildra Min Huldesta Moders ömbet och osförtrutna bemödande til min välgångs befrämjande i framtiden, är för mig så mycket mera omöjeligit, som jag icke en gång i tankarna kan fatta Eder stora ömbet för mig. Ty den omkostnaden, som Min Huldesta Moder användt på mina studier, bar öfvergått långt Eder förmåga, hällst Min Huldesta Moder måst kännas vid den helt allena, sedan Den Allwise GUDen behagade genom den timmeliga döden bådankalla min i lifstiden Huldaste Fader. Uptag imedlertid Min Huldesta Moder detta mitt Academiska arbete, som et litet veder måle af min tacksambet, hvormed jag näst anönskan af all långvarig sällbet in til bleka slostet förblifver

MIN HULDESTA MODERS

Ödmjuk-lydigste Son  
EMMANUEL INDRENIUS.



## PRÆFATIO.

**O**culos per theatrum hujus universi circumferentes, nihil omnino tam firmum atque stabile deprehendimus, quod suis mutationibus subinde non sit obnoxium. Taceo quotidiana fere vicissitudinis phænomena, in tribus naturæ regnis obvia; certe ipsa, quæ admiramur, maxima ac potentissima imperia non uno gradu, sed pedetentim ad gloriæ ac potentiæ culmen sunt evecta. Fuit enim tempus, quo Græciæ civitates inter se admodum discordes, angusta sua vix tueri poterunt pomoeria; quæ vero deinceps sub unius Principis imperio unitæ majorem Asiæ partem sibi subjecerunt. Fuit etiam tempus, quo populus Romanus circa oppidi sui mœnia quasi reptabat; sed qui postmodum, volventibus ita fatis, ad illud potentiæ fastigium adscendit, ut ex Capitolio, tamquam e specula, celebriores totius fere orbis gentes sibi famulantes adspiceret. Fuit quoque tempus, cujus memoria inde ab obscura antiquitate non est repetenda, quo incolæ Imperii Rossici ultra littera maris Baltici parum fuerunt noti, sua se virtute vel involventes, vel bella cum finitimis tantummodo populis gerentes. Sed has caliginis nebulas & hanc barbariæ notam, Majoribus nostris adfectam, feliciter absterfit immortalis Memoriæ Heros, Augustissimus Ros-

forum Imperator PETRUS, qui subditis suis amplissimam  
 gloriae & potentiae campum aperuit: Cujus sub modera-  
 mine Rossi didicerunt, quod impigræ virtuti in via nul-  
 la sit via. Didicerunt quoque ceteræ per Europam gen-  
 tes, in orientali ejusdem parte Nationem quandam caput  
 extollere, lacertos alacriter movere, reliquis populis pru-  
 dentia ac fortitudine nihil in posterum cessuram. Quod  
 Stator hic felicitatis Rossicæ inchoavit, id perfecit & ad  
 summum culmen perduxit Augustissima omnium Ros-  
 sorum Imperatrix CATHARINA II, Quæ sexus sui con-  
 stantiam longe supergressa, non solum optimas tulit le-  
 ges, scientias promovet, & felicitatem internam omni  
 studio auget; verum etiam partim Europam pacavit,  
 partim Ipsa, bello laceßita a Muhammedanis, emisit victri-  
 ces suas aquilas ad eos coercendos, ipsosque terra &  
 mari, id quod prodigium multis visum est, adeo feli-  
 citer debellavit, ut Turcarum res inde a condito ipso-  
 rum imperio nunquam in angustiore magis loco fuerint  
 positæ. Immo Augustæum sub Augusta nostra Pallade  
 Rossis illuxit sæculum; adeo ut omnes, qui sceptro hu-  
 jus Monarchæ parent, in eo conveniant, ut vel heroicis  
 factis, vel litterarum cultura, vel industria & opera gra-  
 tiam Ipsius sibi demereri operose discupiant. Quamob-  
 rem, ut alia reticeamus, varia in Imperio Rossico quot-  
 annis fere eduntur scripta, quæ ad illustrationem Histo-  
 riæ Patriæ apprime conducunt; parumque abest, quin  
 antiquitates Rossicæ ultra multorum spem & opinionem  
 in meridiana luce jam sint constitutæ. Tantorum Viro-  
 rum vestigia e longinquo sequi ipse constitui, felicem  
 me prædicaturus, si hocce observationum Historicarum  
 specilegio vel symbolam quandam ad plenioram veteris  
 Historiæ Rossicæ cognitionem conferre queam. Quic-  
 quid sit, ita ego mecum constitui: *Quod pius est Patriæ  
 fata referre labor.*

§. I.

Quum Imperium Rossicum sit Asiae, verae illi gentium vaginae, conterminum & portionem hujus orbis partis suo comprehendat ambitu, idemque adeo late pateat, ut illas tere contingat terras, in quibus statores generis nostri post diluuium consedisse purantur; dubitari vix potest, quin Patria nostra inter eas Europae regiones sit referenda, quae inter primas suos nata fuit incolas. Confirmatur nostra opinio exinde, quod Scriptores Scandici tantum non omnes contendunt, boreales hosce orbis tractus, si antiquitatem incolarum consideremus, nulli fere Europae parti vetustate cedere; quod si verum ponamus, necesse est, ut his tamen prius suos incolas acceperit Rossia. Quotquot enim allatam modo sententiam probant, in eo conveniunt, primos regionum Septentrionalium habitatores per flumina & lacus Rossiae ad plagam Arctoam pervenisse (a). Quam ob rem quum hujus demigrationis focii in isthoc itinere littora perquam amœna & opimis pascuis luxuriantia, silvas gregibus ferarum ad victum & amictum necessariorum plenas, fluvios etiam exquisitissimorum piscium generibus abundantes, nec non clima sanitati eorum conveniens passim experirentur, nescio sane, quid demum Argonautas hos permoveret, ut hæc loca præpropere nimis relinquerent, & ad montes Riphæos boreales e vestigio sese conferrent. Quo autem tempore primæ in Imperium Rossicum factæ sint immigrationes, liquido discerni non potest. Sunt enim nonnulli (b), qui existimant, statim post diluuium expeditiones tales fuisse susceptas, atque pro comperto habent, Majores nostros, veteres *Moschos*, a MESECH Japheti filio & Noachi nepote (c), quem LXX interpretes & Versio vulgata appellant MOSOCH, fuisse ortos, qui quum ex Armenia

occidentem versus secessisset, colonias hinc in vicinas Europæ partes deduxit. Fateor omnino, si convenientia qualiscunque nominum adfinitatem & nexum rerum semper proderet, quod isthæc hypothesis sua non careret verisimilitudine: quum vero illa nihil fere probet, opinionem allatam magis ingeniosam, quam veram esse existimamus. Atque hoc vel inde constat, quod Rex DAVIDES conqueratur, se hospitem esse in Mesèch, & coactum esse habitare in tentoriis *Kedar*, Psalm. CXX: 5. Quis autem diceret, vel Regem hunc pervenisse, vel Israëlitas ista tempestate per Rossiam fuisse dispersos. Missa igitur hac conjectura, observamus, quod Asiatica Natio, Moschorum nomine insignita, tempore Perlarum Regis DARIÏ HYSTASPIS, firmas in Europa sedes nondum obtinuerit, siquidem huic Regi, cujus imperium, per Europam non extendebatur, tributa solverit (d). Quid? Quod doceant Annales, ipsos tunc habitasse ad radices montium, qui ab illis *Montes Moschici* nuncupati sunt (e). Hac vero tempestate pars quædam Scytharum Nomadum, quos persequabatur DARIÏUS, in Europam sese contulit, atque in Rossia provinciis commorata fuit (f). An vero Moschi etiam Scythis his Nomadibus tunc mixti fuerint, de eo altum est apud Historicos silentium. Ex modo allatis concludimus, quod locorum oportunitas & fertilitas primos populos, in Europam migrantes, invitaverit, ut in Rossia primum consederent, qui vero deinceps variis jactati casibus, propius ad septentrionalem orbis cardinem sese recipientes, penates suos ibidem constituerunt.

---

(a) Probabile admodum est, Rossiam olim pluribus abundasse paludibus, quæ iter non incommodum populis migraturis præbuerunt, vid. STRAHLENBERGI *Nord- und Ost- Theil von Europa &c.* p. 170. Utebantur autem

tunc

tunc præcipue vitilibus navigiis, corio circumfuis, quare etiam MAURICIUS de Sclavis loquens, ἔχοντες, inquit, ἡγὸ ἀσπερ βίβιστο: habent autem & navigia vel ascos ex corio confectos. Vid. Du CANGE in voce *Afcus*. Populi boreales etiamnum vocant tales cymbas *Kamizaduli Baduri* Vid. STRAHLENBERGI *libr. cit p. 100.* (b) Vid. BOCHARTI *Phaleg & Canaan*, nec non C. SCHOETTGENII *Dissert. de origine Moschorum.* (c) *Genes. X: 2.* (d) Vid. HERODOTI *Histor. Libr. III. p. m. 94.* (e) Vid. STRABONIS *Geograph. Libr. X. p. m. 792.* (f) Vid. DALINI *Histor. Svec. Tom. I. p. m. 31.*

## §. II.

Quamvis autem *Moschovita* genus suum a MESECH, in Sacris Litteris memorato, forte non repetant; attamen non repugnabimus, si quis originem Moschovitarum a Moschis, ad radices montium Armeniæ olim habitantibus, sed qui deinceps solum vertere coacti fuerunt, deducere sategerit. Enimvero horum posteri in Europam serius sese contulisse videntur. Nam Scriptores, qui sæculo I vixerunt, & diversas mundi nationes recensuerunt, inter Asiæ populos enumerant Moschos. Ita enim Plinius: *Per convalles autem proximi Armeniae sunt Moscheni (a).* Et nonnullis interjectis: *Moschorum tractus ad Iberum amnem in Cyrum defluentem (b).* Huic pollicem premit POMPONIUS MELA, Plinio æqualis: *Iidem montes alicubi Taurici, Moschici, Amazonici, Caspii, Coraxii, Caucasi, ut aliis aliisque oppositi gentibus, ita aliis aliisque dicti nominibus (c).* Postmodum autem in Europam penates suos sensim sensimque transtulerunt, & saltem ante sæculum V in hac orbis nostri parte fixas habuerunt sedes. Etenim SIDONIUS APOLLINARIS, sæculi quinti scriptor, populos enumerans, qui in exerci-

tu Imperatoris VALENTINIANI II fuerunt, Moschorum quoque mentionem facit, ipsosque finitimos ponit illis populis, qui tunc temporis in Europa sedem suam fixerant, & in Pannonia, Moesia, Dacia & juxta Pontum Euxinum, ubi hodie Tattaria minor est, habitaverunt (d). Quicquid sit, non tamen in eam opinionem nos induci patimur, ut statuamus Rossiam ante saeculum IV & V fuisse incolis destitutam; quin potius, quam admodum probabile sit, Septentrionalem Rossiae partem ferius, quam meridionalem fuisse habitam, & Annales Hyperborei doceant, quod OTHINUS II filium suum SIGURLAMUM, data ipsi in matrimonium filia GYL-FONIS HEIDE nuncupata, Regem Gardaticiae constituerit, cujus filius ac nepotes avitum diu tenuerunt imperium; concludere par est, meridionales Rossiae terras, saltem proxime ante Nativitatem Christi, cultas fuisse, quamvis gens haec ista tempestate vel Romanis Scriptoribus ignota fuerit, vel alio forte nomine seipsam tunc distinxerit. Quocirca non erit reticendum, quod Henricus BRENNERUS tradat, hodiernos Molchovitas esse adventitiam gentem Slavonicam, quae saeculo fere septimo post Nativitatem Christi in illas terras, ubi nunc dominatur, transmigravit, atque veteres incolas paulatim sub jugum misit (e). Provocat quidem ad ipsorum Rossorum testimonium, qui in Chronologia sua illud fateri perhibentur, sed an haec ipsa sese recte habeant, alii dispiciant.

---

(a) Vid. *Histor. Natural. Libr. VI. Cap. 9.* (b) Vid. *Libr. modo cit. VI. Cap. 10.* (c) *Descriptio orbis Libr. I. 19. 92. Edit. Gronov.* (d) *In Panegyrico Majorani Carmine V: 478 seqq.* (e) *In Notis ad seriem Principum Iberiae & Georgiae post Moysen Armenum p. 85.*



## §. III.

Nomen Moschovitarum ceu vel ineptum, vel nimis recens, saltem ut se parum dignum, adspernantur populares mei, qui se potius Rossos vel Russos nuncupari volunt; de cujus appellationis tam antiquitate, quam origine multa disputare solent Palæophili. Sunt enim plerique, qui existimant, nomen Rossorum ante sæculum IX Europæis gentibus parum notum fuisse, rationem suæ opinionis ex Annalibus Bertinianis petentes, ubi in præsentem rem hæc leguntur: *Misit THEOPHILUS Imperator cum eis quosdam, qui se & gentem suam Rhos vocari dicebant, quos Rex illorum, Chacanus vocabulo, ad se amicitie, sicut adferebant, direxerat &c. &c. (a)*. Enimvero quamvis ex isthoc loco sequatur, gentem Rossicam ista tempestate populis ad occidentem Europæ plagam habitantibus parum cognitam fuisse, quod inde accidit, quia rariora tunc inter diversas nationes fuerint commercia; hinc tamen nequaquam confici potest, gentem Rossicam hoc demum ævo suas primum occupasse sedes. Ex annalibus enim Rossorum iisdemque satis integris constat, Rossiam circa medium sæculi IX imperium perquam amplum constituisse, quum RURECUS tunc e Waregia in Rossiam evocatus fuerit. Nec ab his dissentiunt monumenta Scandica, quæ docent, Majores nostros ante sæculum modo memoratum, in Finlandiam irruptiones fecisse, ad quas coercendas Svecorum Reges exercitus suos ad oras hæc orientales iterum iterumque deduxerunt (b). Fir quidem in annalibus Gothicis mentio Risalandiæ & Regis Risalandiæ, sed nec hæc momenta sunt sæculo IX antiquiora (c). Adde, quod Historici Svio-Gothici per Risalandiam non intelligant hodiernam Rossiam, sed potius aliam quandam Septentrionis terram. Interim tamen colligi posse videtur,

B. Risalan-

Risalandiam a Gardaricia, id est, boreali Rossiae parte haud procul remotam fuisse, quum Principes vicini foedera connubialia inter se isto aëvo potissimum iniverint. Clara sunt verba Orig. Island. Landsnemæ: *Thorgil hét son Theira, han atti Elinu Dottur Burislafs Konungs or Gerdum auslann oc Ingiabiargar Systur Dagstigs Rifa Konungs*, id est Thorgillus, qui eorum filius erat, uxorem habuit filiam Regis BURISLAVII Gardariciensis & Ingiabiargæ, quæ soror DAGSTIGI Risorum Regis erat (*d*). Alii autem Rossorum nomen ætatem duorum sæculorum vix excedere putant (*e*), quorum vero opinio valedissimis refutari potest argumentis. Hæc de antiquitate nominis Rossorum dicta sufficiant, quorum origo altius erit repetenda, si ingeniosis quorundam sententiis erit adfurgendum. Sunt enim Eruditi, qui adferere non dubitant, Rossos & genus & nomen suum repetere a *Russo*, Japheti filio, quem alii ordine quartum, alii octavum dicunt, cujus etiam res gestas prolixè satis exponunt, quamvis nec harum, nec nominis istius ullum in Sacris Pandectis reperiatur vestigium (*f*). Forte, si in re seria hariolari liceat, fratres MAGOGUS & RUSUS societatem commigrationis inter se inierunt; at dum ille in Scandinaviam usque penetravit, hic Rossiam sibi sedem elegit. Alii sacro etiam errore abrepti originem Russorum arcessunt a ROCH, qui inter filios Benjamini in Sacro Codice memoratur (*g*). Alii adhuc per vocabulum  $\Psi\text{N}$ , quod occurrit apud Prophetam EZECHIELEM Cap. XXXVIII: 2. 3. XXXIX: 1. designari credunt Principem quendam Majorum nostrorum, ipsosque ab eo appellationem esse sortitos (*h*), sed quam conjecturam quoque nos illis, quibus volupe & otium fuerit, defendendam relinquimus. Missis igitur derivationibus Hebraicis, majori cum probabilitatis specie adferunt alii, Rossos ita nuncupatos fuisse a Gothico vocabulo

bulo *Rofs* equo, quod equitatu imprimis valerent incolæ hujus terræ (*i*), & in vetustis Annalibus perquam celebrentur ob equitandi peritiam (*k*). Nec quempiam morari debet, quod radicem nominis in lingua Gothica quærant; quum satis superque constet, *Scythiam Magnam* non solum Scandinaviam, sed Rossiam quoque suo ambitu fuisse complexam. Ceteris autem multo ingeniosior nobis semper visa est eorum opinio, qui originem ac nomen Rossorum derivant a Fennico *Ruotzi* (*l*), quo *Svethia* & præcipue ora maritima, hodie *Roslagen* dicta, indigitatur. Causam etymologiæ hanc adferunt: scilicet quum RURECUS in Rossiam proficisceretur, multos Svecos secum duxit comites, qui nomen & genus suum in peregrino solo oblitterari hinc agre ferentes, inde vero invidiam incolarum declinaturi, non Syecicam appellationem, sed alteram potius Fennicam retinuerunt, quæ successu temporis universis civibus facta est communis. Enimvero non est dissimulandum, quod non pauca sint momenta, quæ robur hujus sententiæ infringere videntur. Primo enim ora *Svethiæ* orientalis antiquitus dicta fuit *SIALAND*, & sequenti demum tempore *Roslagia*, quæ appellatio longe post Rureci in Gardariciam adventum invaluit (*m*). Deinde antiquum Rossorum Chronicon, quod *POVIEST VREMIANICH* nominatur, discrete perhibet, Nationem illam, quæ Rurecum ex Waregia evocavit, dictam fuisse *Ruus* (*n*); manifesto indicio, nomen Rossorum ætatem hujus Principis antevertere. Nos igitur, missis aliorum de origine vocis Rossorum sententiis, quas singulas examinare instituti ratio non permittit, potius existimamus Rossos ita dictos fuisse non tam a fluvio *Wolga*, quippe qui ab antiquis Geographis non *Rhos*, sed imprimis *Rba* nuncupatus fuit, quam potius a fluvio *Rusa* (*o*) vel *Russa*, qui in lacum *Ilmen* sese exonerat, & cujus littoribus in-

sedisse videntur primi Rossiae incolae. Vel si cui minus isthac etiam arrideat sententia, nomen memoratum haud inepte derivari potest a Slavonico *Ros* vel *Rus*, quod diffusum & disseminatum denotat, quam etymologiam, ceu omnium convenientissimam, judicant *HERBERSTEINIUS* (p) & *BAYERUS* (q); nam procul dubio haec appellatio optime exprimit diversas veterum Rossorum sedes. Denique ob adfinitatem nominum erunt quoque nonnulla de *Roxolanis* monenda. Plerique autem Scriptores existimant *Roxolanos* fuisse nationem ex Rossis & Alanis compositam, quippe quod ipsum nomen haud obscure insinuare videtur. Enimvero nisi admodum fallimur, terminatio vocis hujus est tantummodo Fennica, & quemadmodum Fenni Svecum *Ruotsalainen*, ac Germanum *Saxalainen*, ita etiam Rossium *Rossalainen* appellarunt; unde exteri Scriptores *Roxolanos* confecerunt.

(a) Vid. *Du Chêne Rerum Franc. Script. Tom. III. p. 195.* (b) Vid. *STURLONIDIS Heims Kringla T. I. (c) Samsonas Fagres Histor. Cap. XX. & Dissert. GJOEDINGI de prisca gente Venedica p. 47.* (d) Cfr. *TORFÆI Series Regum Dan. p. 369.* (e) Vid. *STRAHLBERGI Libr. cit. p. 169. & DALINI Hister. Svec. T. I. p. m. 42. not. m.* (f) Vid. *Abulgasi-Bayadur Chans Histoire Genealogique des Tatars Libr. 2. p. 23. & HERBELOT Bibliothéque Orientale p. 722.* (g) *Genes. XLVI: 21.* (h) Vid. *Christ. SCHOETGENII Dissert. de Rutbenorum Originibus p. 5.* (i) Vid. *GJOEDINGII Dissert. & pag. cit.* (k) Vid. *Chron. Rhythmicum Svecanum p. 60 & 61.* (l) Vid. *WIESELGREN de origine & nomine Gentis Rossorum Dissert. p. 14. - - 17.* (m) Vid. *L. SEPELII Dissert. de Rossoglia p. 4.* (n) Vid. *J. HELSINGII Dissert. de Originibus priscae gentis Waregorum p. 57.* (o) *Rusa* Lingua Rossica significat *terrentem*, qui Graecis *γῆς* dicitur vid.

vid. STRAHEENBERGI Libr. cit. p. 190. (p) Ejusd. Commentar. Rerum Muscovit. p. 1. (q) Vid. Actor. Petropolit. Tom. I.

§. IV.

Circa originem gentis Rossicæ non minor occurrit opinionum disparitas, quam modo observavimus circa natales nominis; cujus quidem diversitatis inde petendam esse rationem nos existimamus, quod multorum populorum irruptionibus ac bellis olim obnoxii fuerint Majores nostri. Imprimis Tattari sub Duce eorum BATHO, qui terror Europæ cognominatus fuit (a), tantam rerum omnium conversionem per Rossiam produxerunt, ut ipsa sibi valde dissimilis deinceps facta fuerit. Tentabimus nihilominus quousque in hac indagine progredi possimus. Quum igitur omnium fere gentium incunabula in Asia sint quærenda, atque ibi oportune inveniamus gentem, Rhos nuncupatam, ad radices montis Tauri sedes suas quondam habentem, eandemque generis Scythici, ceu docent Scriptores Byzantini (b); probabile admodum est, quod ex hoc populo coloniarum in Europam sese contulerint, atque avitum nomen in peregrino solo retinuerint; quorum tamen populorum nonnulli antiquum nomen Rossorum in Roxolanorum mutasse videntur. Interjecto deinceps tempore alia Scytharum natio, Sarmatae, in Rossiam penetrarunt, atque cum veteribus incolis in unum coaluerunt populum; ex quibus populi ad orientalem Europæ partem habitantes in universum dicti sunt Sarmatae. Fatetur enim Strabo, quod τὰς μὲν ὑπὲρ τῆ ἐυξείνου καὶ ἁδρια καὶ ἰσθμ. κατωκίοντες τῶσεβορέας ἔλεγον καὶ Σαυρομάτας οἱ πάλαι. id est eos, qui supra Euxinum & Istrum & Adriam habitaverunt, Hyperboreos & Sauromatas appellaverint veteres (c). Cui accedit, quod sicut veteres Rossi a Scriptoribus Scandinavicis mul-

tam celebrantur propter peritiam equitandi; ita propter eandem dexteritatem Sarmatici populi laudantur tam a Græcis Scriptoribus, qui ipsos *ἰπποπόξους* (*d*) cognominarunt, quam a Romanis Auctoribus (*e*). Hæc, quæ modo allata sunt, concernunt remotam Roslorum originem, si autem propiorem quis quærat, dicendum omnino est, Slavos fuisse eorum progenitores, quæ sententia a modo nominatis opinionibus parum discrepat. Conveniunt enim plerique Historici in eo, quod Sarmatæ & Slavi ejusdem sint profapiæ (*f*), & quod nomen Slavorum (*g*) recentius tantummodo sit (*h*). Confirmatur autem hæc origo inde, tum quod Rosli ipsi fateantur se ortos esse ex Slavis (*i*), tum quod Slavonica utantur lingua, ceu omnibus notum est. Nec duplex hoc argumentum convellunt duæ aliæ a CONSTANTINO PORPHYROGENETA desumptæ rationes, dum primo adfirmat, quod *Σκλάβοι οἱ παλαιότεροι τῶν ρώης*, id est Selavi fœderati Roslorum, deinde adfert etiam quædam locorum nomina, quæ aliter Slavi, aliter Rutheni effecerunt (*k*). Quod enim ad utrasque has attinet, plures diversæ fuerunt Slavorum Nationes, generali hoc nomine comprehensæ, quæ speciales habuerunt tam appellationes, quam dialectos.

---

(*a*) Vid. *M. Z. BOXHORNII Histor. Universal. p. m. 778.* (*b*) Sic *ZONARAS XVI. 5.* τὸ δὲ ἔθνος τῶν ῥῶης Σκλαβικὸν ὄν, τῶν παλαιῶν πὴν τὰ ἄρσεν ἐθνῶν, cum quo plane consentiunt tam *Joh. TZETZES Chiliad. XI. Histor. 393,* quam *CEDRENIUS Tom. II. p. 551.* (*c*) Vid. *Ejusdem Geograph. Libr. II. p. 586.* (*d*) Confr. *HERODOTI Libr. IV. Cap. XLVI.* (*e*) Vid. *OVIDII Trist. Libr. V. Eleg. VII. v. 13. seqq.* (*f*) Sic *CROMERUS in Histor. Libr. I. Cap. 9. & 13* luculenter ostendit, Venedos, Slavos, & Sarmatas unam eandemque gentem olim

lim constituisse, atque *SCHURTZFLEISCHIUS* in *disser-  
t. de Rebus Slaviciis* p. 3. monet, quod *GREGORIUS A-  
BULPHARAGIUS* Slaviam & Sarmatiam conjungat, un-  
de porro concludit, illa Alaniam, Rossiam & Bulgariam  
comprehendi. (g) Auctor Libri, qui inscribitur *Lettres  
Muscovites*, *Slavos* ita dictos vult, quasi mancipia, Go-  
thice *Slafvar*, ipsosque a servis Scytharum ortos fuisse  
perhibet; sed cujus virulenta opinio a veritate Histo-  
rica est longe remota. Potius ita dicti sunt à Slavà, quod  
gloriam significat. Est quidem lingua Slavonica per-  
quam diversa ab idiomate Scythico, quod tamen tempo-  
rum & imperiorum vicissitudinibus, nec non commer-  
ciis erittribuendum. De cætero observo, quod Sarmata-  
rum Lingva inde ab *HERODOTI* ætate fuerit a Scythica  
diversa, quamobrem Historicus hic profitetur, Sarmatas  
Scythice *σοδοικίζει* id est corrupte loqui. (h) *PRO-  
COPIUS* primus omnium censetur, qui in *Historia Go-  
thica* nomen *Slavonicum* adhibuit, ante quod ævum po-  
puli hi vulgo dicebantur *Wenedi* & *Winidi* atque a Fen-  
nis etiamnum *Wenelainen* (i). Vid. *HERBERSTEINI*  
*Libr. cit* p. 1. (k) Vid. *Ejusdem Libr. de administrando  
imperio Cap. IX.*

§. V.

A nobis modo observatum fuit, quod plerique Hi-  
storici originem Slavorum, adeoque etiam Rossorum,  
reperant a Venedis, quod antiquissimum fuit horum  
populorum nomen. Nec tamen in eo acquiescunt, quod  
isthanc opinionem idoneis comprobaverint argumentis,  
sed longius progrediuntur, & originem etiam Venedo-  
rum indagare satagunt. Quum igitur in veterum Hi-  
storicorum scriptis mentio fiat Venerarum, Henerarum  
atque Ennerarum, inter quæ nomina & Venedorum  
appellationem paucarum tantummodo litterarum diffe-  
rentia

rentia intercedit, hinc Palæophilii quidam colligunt, Venedorum Nationem a præscis Venetis seu Ennetis ortam esse, cujus deinceps natales ab ipsis Medis repetunt. Et profecto non desunt Auctorum suffragia, quæ isthanc opinionem corroborare videntur. Sic PLINIUS disertè adserit, Sarmatas Medorum esse sobolem (a); qua in re non quidem album calculum, attamen excusationem meretur, quod hoc ipsum a DIODORO SICULO mutuatus fuisse videatur, cujus hæc occurrunt verba in Latinum sermonem translata: *A Regibus illis, Scytharum, cum aliæ, tum due maximæ colonie ex gentibus bello subactis deductæ sunt, quarum altera ab Assyriis in agrum Paphlagoniæ & Ponto interjectum translata, altera ex Media ad Tanaim collocata fuit, cujus populi Sauromatæ nominantur* (b). Quo quidem loco sententia a nobis vindicata de Sarmatis, genus suum a Scythis repetentibus, non convellitur, quum DIODORUS ipse haud obscure innuat, majorem hujus coloniarum partem ex Scythis fuisse compositam, quibus intermixti fuerunt Medi. Ex diverso capite alii originem Venedorum ex Medis reperunt, scilicet Sarmatas, Venedos, atque Ennetos Paphlagonicos ejusdem plane esse stirpis contendunt. Ennetos autem *Μηδων ειναι δε σφεας απολυτο λεγειν*, hoc est se Medorum quoque colonos dicere, testatur ipse HERODOTUS (c). Enimvero quamvis concederemus, Venedos atque Ennetos aliquando haud procul fuisse remotos; ægre tamen admittitur, Venedos a Medis longa cognationis serie descendere. Nam primo lingua horum populorum toto cælo est diversa, quum Medi Persica, Venedi autem Slavonica utantur. Sed si Medos & Mæotos, hoc est, Paludis Mæotidis accolæ quis eosdem esse putet, tunc certe, nobis arbitris, nihil obstare videtur, quominus Venedi agnoscant Medos sui generis statores. Deinde PLINIUS describens migra-

tiones



tiones Hennetorum in Europam, luculenter indicat, ipsos in Italiam sese contulisse, atque in littoribus maris Adriatici confedisse (d). Nulla autem in antiquis monumentis comparent indicia, ex quibus cognationem Venetarum Italiae & nostrorum Venedorum tuto colligere liceret.

(a) Vid. *Histor. Natural. Libr. VI. C. 7.* (b) Vid. *Bibliothec. Histor. Libr. II. p. m. 123.* (c) Vid. in *Terpsich. Libr. V. p. 292.* (d) Vid. *Histor. Nat. Libr. VI. C. 1.*

§. VI.

In vetustis Rossorum Annalibus sæpius mentio fit gentis cujusdam, ab aliis *Tschjudi*, ab aliis rursus *Esudes* nominata; de qua constat, quod olim, valde floruerit & quod pars ejusdem cum victoribus Slavis in unam coaluerit nationem, pars autem alia ad boreales Rossiae regiones sese contulerit, ibidemque penates suos constituerit. Nec minus certum est, quod hujus nepotes ac posterii maternam oblitum sint linguam, & quicquid etiamnum de Majoribus suis perhibeant, obscura admodum traditione nitatur. Quocirca a Viris Eruditissimis pridem quæsitum fuit, quinam hi sint Rossiae populi & cujus originis, qui *Tschjudi* nuncupantur? Ipsum nomen statim, ut nobis videtur, insinuat, ipsos fuisse *Scythas*, siquidem inter *Tschjudos* & *Scythas* exigua sit soni differentia. Confirmatur hæc opinio exinde, quod in antecedentibus ostenderimus, Rossorum aborigines fuisse *Scythas*. Cui adhuc accedit, quod Tattari appellent populos *Scythicos*, cis montem Imaum habitantes, *Ma-Tschjudi*, atque gentes quasvis more *Scytharum Nomadum* viventes, *Tschjudi* (a). Quid? Quod *Scythia Magna* etiam Rossiam suo ambitu fuerit complexa, ex *STUR-LONIDE* (b) satis superque colligi possit. Nec mirum cui-

cuiquam obveniet, quod lingvæ Scythicæ in hodierno Rossorum sermone pauca supersint vocabula, siquidem uti Slavi Scythis prævaluerunt, ita horum lingva in dialectum Slavicam successu temporis fuit emollita. Alii rursus *Tschuidos* Fennicæ originis fuisse arbitrantur (c). Enimvero cum genius lingvæ Fennicæ non duas consonantes initiales vocum, nedum plures, ferat, profecto nomen *Tschuidi* non est Fennicum. Denique quod *Tschuidi*, dum irrupentes Slavorum cohortes nova sibi hospitia nimis acriter extorquerent, versus borealem plagam sese contulerint, exinde manifestum esse opinamur, quod lacus Peipus etiamnum a nostratibus *Tschudskoi - Ozero*, & lingva Esthonica *Tschudskoi - Jafik* appelletur (d).

(a) Vid. *STRAHLENBERGI Libr. cit. p. 38 - 40.* (b) Vid. *Heims Kringla Tom. I. p. 2.* Quid? Quod Rosli vocent partem urbis Mœscuæ *Kitai*, quasi diceres Scytharum urbem. Vid. *MULLERS Sammlung Russischer Gesch. Vol. 8. part. 6.* (c) Vid. *MULLERS Saml. Tom. I. p. 10.* (d) Vid. *MULLER Loc. nuper cit.*

## §. VII.

Quam certum est, quod veteres Rosli, motibus civilibus nimis exagitati, ad Waregos quosdam miserint impetraturos Principem, qui afflictas eorum res restitueret, siquidem in eo omnes consentiant Rossorum Annales; tam e contrario incertum multis videtur, ex qua potissimum terra *RURECUS* cum suis sive fratribus sive sociis huc advenerit. Scilicet existimant nonnulli, nomen Waregorum non fuisse proprium aut gentilitium, sed appellativum, quo promiscue designabantur populi, in mari Baltico piraticam, quæ barbaris hinc temporibus honestum satis putabatur vitæ genus, exercentes (a). Absit autem, ut credamus, tantam fuisse veterum Rossorum simplicitatem, ut sibi præpostere persuaserint, quemvis *mayarchum* tranquillitati publicæ restituendæ sus-

fectu-

fecturum. Præterea docent Annales nostri, quod ex communi decreto & auctoritate imprimis Illustris inter Novogardenses civis, GOSTOMISSEL dicti, permoti Rossi legatos suos ad *Waregos* miserint. Enimvero si quilibet indiscriminatim Princeps, piraticam exercens, *Waregus* tunc nuncupatus fuerit, quomodo, quæso, Majores ad tales mittere potuerunt, qui castra nautica in eodem loco diutius non habuerunt, quam spes prædæ colligendæ ipsos detineret. Uterius vero adhuc quidam progrediuntur, existimantes, omnes fere populos, ad Borealem Europæ partem habitantes, *Waregos* salutatatos fuisse, quo generali nomine speciatim comprehendebantur Gothi, Angli, Sveci, Normanni & Rossi (*b*). Quocirca contendunt, Principem RURECUM fuisse evocatum ex vicina Borussia; quam ista tempestate incoluerunt Rossi, ejusdem cum Novogardensibus profapia; id quod probare nituntur partim ex nominibus *Idolorum*, quæ utraque gens quondam coluit, partim ex more sese abluendi utrinque recepto. Enimvero quum GOSTOMISSEL Novogardensibus persvaserit, ut trans mare *Wargetskoi* vel *Wartsko-More* ab illis dictum, & quo nomine mare Balricum etjamnum denotant Rossi, mitterent ad arcessendum desideratum Principem; satis apparet, ipsum non intellexisse finitimam Borussiam, nullo intermedio mari a Rossia distinctam. Præterea quod Rossi etjam Waregorum nomine quondam fuerint comprehensi, idoneo nullo, ut nos opinamur, probari potest argumento. Denique addendum, quod nomina *Idolorum* a Veteribus Rossis cultorum, non solum Borussis, sed Fennis quoque fuisse communia, vix quempiam fugere possit; hos tamen ejusdem cum Rossis esse originis, nemo facile dixerit. Nos igitur, missis aliorum opinionibus, existimamus per *Waregiam* indigitari *Svethiam*, quod adfinitas vocum *Waregie* & *Sverige* primum indicat, Fennis consonan-

tem initialem duplam non ferentibus. Id quoque comprobatur situs Svethiæ ultra mare Waregicum seu Balticum respectu Rossiaë positæ. Immo Rurecus sepe nominatus fuisse videtur ERICUS, Svethiæ Regis RAGNARIÏ LODBROKII & THORÆ filius maximus natus; cum quo amicitia inter vicinas gentes ita fuit redintegrata, ut Principes Rossici cum Waregicis fœdera tam connubialia quam Politica sæpius deinceps iniverint. Quid? Quod quum Rossia circa initium fere superioris sæculi internis iterum calamitatibus gravissime affligeretur, alius civis Novogardensis, CYPRIANUS Archimandrita, in medium confugerit, ut more majorum Legatos in Svethiam mitterent, qui alium Rurecum, Principem CAROLUM PHILIPPUM, Regis GUSTAVI ADOLPHI fratrem, Magnum Ducem sibi expeterent (c), quod etiam factum, quamvis negotium successu optato caruerit. Sed heic filium observationum nostrarum abrumpere cogimur.

(a) Vid. MULLERS *Libr. cit. Tom. I. p. 4.* (b) Vid. LOMONOSSOW *Histoire de la Russie Tom. I. p. m. 71.* (c) Vid. WIDEKINDI *Histor. belli Svec. Moscov. Libr. VIII. p. m. 403.*

S. D. G.

